BUTUA MINOR. BUTUA MAIOR.

23a

BUTUA.

Butua, Parera Brava, officinis; Pomet: Boutova, Membrocque, Brasiliensibus, Pareira brava, Lusitanis. Pareyra, Ambutua, Butua, Brutua, Zanoni, dicta: Radix est dura, lignosa, fibrosa, contorta, rudis, intus obscure flavescens, inodora, dulcis, acris, et subamara, digiti, et si annosa brachij crassitie. Ex Mexico, et Brasilia affertur, vitisque sylvestris speciem esse narrant. Virtutes eius summopere extollunt Brasilienses, et ipsi Lusitani, quasi Panacea illis est, scilicet diuretica, lithontriptica, vulneraria, stomachica, cordialis, alexipharmaca. Sumpta aqua, vel vino, vel cataplasmata cum oleis anodinis, anodina est. Intus sumpta, diarrhęam, dysenteriam, gonorrhęam, fluorem album, hęmoptoen, et hęmorrhagias omnes sistit. Pleuritidem et Anginam, sumpta, et applicata sanat. Similiter morsibus venenatis, et telorum venenatorum ictibus medetur. At ad nephritidem, urinę suppressionem, renumque et vesicę calculum, specifica habetur.]

Hęc quidem radix, et nomine, et descriptione manca, nobis magnò venit, et exotica habetur, cum sit indigena. Tanta est Botanicorum nostrorum incuria, ut quę nostratia sunt, magno cum dedecore emant. In hoc Aragonię Regno passim obvia est, sepibus, dumisque se implicans, vicinia omnia superat. Secus agrorum margines inter rubos, vepres, et sentes crebro reperitur, lęto scilicet, siccoque solo. Frutex est quidem gymnopolysperma, seminibus compressis, rotundis, in capitulum congestis, et villosis plumulis comatis. Floribus tetrapetalis, nudis, albis, cruciatis, in umbellę, aut racemi formam, odoratis. Caulibus sarmentosis, multis, crassis, rubentibus, contortis, ramosis, geniculatis, lentis et obsequiosis, scandentibus. Folijs coniugatis, integris, vel laciniatis, ad unum nervum e quinis fere coalescentibus, eorum uno eminente, hederę similibus, sed non angulosis. Est Clematitis flore albo, mihi: Dodonei vero clematidis sylvestris alterę Dioscoridis altera species flore albo: Vitalba eidem, et Matthiolo, cui et Clematis tertia. sed hęc minor mihi. Duplex scilicet est, maior, folijs integris, vel parum laciniatis, et minor lacinijs multis. Radix utraque est similis Brasiliensi in omnibus, et sapore primo

gustatu dulci, dein subamaro et acri, non adeo ut Clematidi Dioscoridis, sed magis benigno, et temperato.

Præter supradictas facultates, Butuæ vires Geofroy expertus est, in nephritide, et urinæ suppressione ex mucosa lympha, quam sale acri suo volatili dissolvit. Similiter in ulceribus renum, et vesicæ detergendis, et curandis, maxime cum Balsamo Copaiba mixta radix. In asthmate humorali similiter, et ictero a bili crassiore. In gonorrhœa non aliter.

Helvetio diuretica est, et nephritica. Pulvis ejus in vino hydropi medetur. Catarrhis, tussi, febribus intermittentibus, et malo grin, malo hypochondriaco, (in quo et mihi experta est.) In pulvere, vel decocto partum accelerat, pores pellit, et omnes inflammationes internas resolvit. Menses movet, et cum aqua plantaginis sistit, sicut et ventris fluxus. Gargarismate anginam dissolvit, et odontalgiam sedat. Cum decocto papaveris erratici ad pleuresin, erysipelata, et colicum dolorem. Morbis frigidis confert, sanguinem dissolvit coagulatum, et purificat, acidum fermentativum destruit; gonorrhœam cum aqua plantaginis pulvis novem diebus jejune sumptus. Per duodecim dies ℈j. pulveris radicis cum ℥vj. brodij ciceris menses movet, ex Curvo. Ab apoplexia præservat si pulvis ejus, vel decoctum mane aliquamdiu sumatur. Cave ne nimia sumatur dosis, calida cum sit ardorem internorum accenderet.

Constat partibus aquosis crassioribus cum dulcedine, sed sale volati acri temulati. Dosis radicis est a ℈ß. ad ʒß. in substantia; sed in decocto ad ʒiij.

Formulæ

Ad Nephritidem, urinæ suppressionem, icterum a bile crassa, et asthma humorale.

℞ radic. Butuæ tritæ ʒiij. coquantur in aquæ commun. ℔. ij. ad tertiæ partis consumptionem. Colatura dividatur in tres doses calide sumendas, cum, vel sine Saccharo, nam Saccharata vires medicamentorum infringunt, et stomacho male audiunt.

Ad Calculi præservationem.

℞ Rad. Butuæ concisæ ʒß. coqu. igne levi in aquæ ℥v. fiat colatura, et sumatur jejune. Reiteretur per 20. dies, singulis mensibus. Vel ℈j. ejusdem radicis tritæ sumatur cum decocto Adianti eadem methodo.

Ad Ulcera Renum, Vesicæ, et Intestinorum.

℞ Pulver. rad. Butuæ ℈j. Balsami Copaibæ, ℈ß. sacchari Saturni, grana ij. cum decocto Adianti sumatur mane et sero; per quindecim dies.

Ad Gonorrheam.

℞ pulv. radic. Butuæ ʒß. mercurij dulcis, gr. xij. balsami Copaibæ, gutt. viij. cum decocti Bardanæ ℥iv. sumatur mane et sero pro necessitate.

Ad morbos Chronicos mali Habitus.

℞ rad. Butuæ pulveratæ ʒß. coque in decocti radic. aperientium, ℥ v. colaturæ addatur Tinctura Cast. gutt. vj. sumatur ieiuno stomacho per quindecim dies.

Faciebat Antonius Campillo.